DE APARINE. CAP. XIIII.

NOMINA.

C

Errant qui putãt legendũ esse ὀμφαλόκαρπος, nam Dioscoridis & Pauli exemplaria castigatiora omnia habent ὀμφαλόλοβος. Cui sanè lectioni & ratio ipsa subscribit, cũ sic nominata sit ab umbilici specie, quã fructus eius refert. Quare cum altera lectio ratione omni destituta sit, immeritò ab Oroßio Hispano Hermolaus, Marcellus, et Ruellius Dioscoridis interpretes ὀμφαλόκαρπος legẽtes taxantur.

APARINH, ἡ ὀμφαλόκαρπος, ἡ φιλανθρωπος græcè, Aparine latinè, Klebkraut Germanicè nominatur. Omphalocarpos ab umbilici similitudine, quam semẽ eius refert, rectè dicta est. Philanthropos autem uox humanitatis, amoris & comitatus illi imposita est, quod blanda, comis, & hospitalis herba sit, nec aliter prætereuntiũ uestes apprehendat, quàm solent amici & hospitaliores à se discedentes comprehensa ueste retinere, aut si id nequeant, aliquandiu sequi. Quam appellationem pulchrè Germani exprimentes, Klebkraut nominant: est enim illis kleben/ quod latinis tenaciter adhærere. Officinæ & herbarij nõnulli Aspergulam hodie uocant: rectius tamen una detrita litera nominarent Asperulã, quod asperitate sua attingentiũ uestimentis pertinaciter hæreat.

Omphalocarpos. Philanthropos.

FORMA.

Ramulos habet Aparine multos, exiguos, quadrangulos, & asperos. Folia per ambitum orbémue Rubiæ modo per interualla, circumposita. Flores albos. Semẽ durum, candidum, rotundum, à medio, umbilici modo, leniter cõcauum. Ipsa herba uestibus adhærescit.

LOCVS.

Nascitur in frumentario agro, aut hortis circa sepes & maceries.

TEMPVS.

Colligitur æstate dum semine prægnans est.

TEMPERAMENTVM.

Aparine modicè extergit & desiccat, habetq; nonnihil tenuium partium: unde satis constat hanc aliquam etiam caloris in se portionem habere.

D

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Aparines seminis, caulium & foliorum succus cum uino potus, phalangiorũ & uiperarũ morsibus auxiliatur. Infusus doloribus aurium medetur. Herba ipsa cum axungia trita coacta, strumas discutit.

EX PLINIO.

Efficax Aparine contra serpentes, semine poto ex uino drachma: & contra phalangia. Sanguinis abundantiam ex uulneribus reprimunt folia imposita. Succus auribus infunditur.

DE ACANTHO. CAP. XV.

NOMINA.

Branca ursina.

ACANθOΣ, ἡ ἄκανθα Græcis, Acanthus siue Acantha Latinis dicitur. Officinæ à similitudine, quam eius folia cum anterioribus ursorum pedibus habent, Brancã ursinam uocant. Ad quam etiam similitudinem respicientes Germani, Bernklaw oder Berntatz nominant. Illud non prætereundũ esse putaui, hanc herbam olim etiam Romanis Marmorariam esse dictam: quæ uox in omnibus Dioscoridis exemplaribus depraua ta est, ac in Mamolariam detorta: quòd eius folia columnarũ maximè Corinthiarum capitulis insculpebantur, quarum identidem tam scapi quàm uertices marmore splendebant. Antiqui etiam Acantho pateras pingebant.

Marmoraria. Dioscoridis locus emendatus.

GENERA.

Duo Acanthi genera damus. Primum quidem legitimam Acanthum nominauimus, quòd scilicet descriptioni per omnia respondeat. Germanis dicitur Welsch bernklaw. Alterum Germanicã, quod nimirum in Germania officinæ omnes pro Acantho hanc usurpent herbam. Germanis simpliciter Bernklaw uocatur.

FORMA.

ACANTHVS
VERA.